

communicationem illam apud S. Benedictum non esse censuram ecclesiasticam, sed solum separationem quamdam a communi mensa vel choro, vel conversatione fratrum, ut ab expositoribus adnotatur, et ex ipsa regula non obscure colligitur. Et similis erat suspensio, de qua loquitur Cassianus, eamque vocat suspensionem ab oratione, id est, vel separationem a communi oratione, vel privationem proferendi orationem aliquam in communi conventu fratrum. Has ergo et similes pœnas poterunt Abbatissæ monialibus imponere, si alioqui sint conformes suæ regulæ vel consuetudini, et ordinarium modum disciplinæ religiosæ non excedant. Nec tales pœnæ sunt proprie spirituales, sed ad corporales reducuntur, ad modum exilii vel separationis ejusdam. Fortasse etiam potest hæc pœna ad aliquid spirituale extendi, ut si jubeatur quis non communicare tali die, vel non orare, sed in alio opere laborare in pœnam; hæc tamen, si aliquando permittantur, non imponuntur per propriam jurisdictionem, sed solum ut mandata quædam per dominativam potestatem, et non inferuntur proprie ut sunt spirituales privationes, sed ut inducunt aliquam notam vel ruborem.

11. Loquendo autem de specialibus privilegiis, Canonistæ multa concedunt his Abbatissis, ut patet per Panormitanum et alios, in dict. c. *Dilecta*, et in c. *Cum dilectus*, de Consuetud., n. 20, et in cap. *Dilecta*, de Excess. Prælat., nimirum, posse conferre beneficia, et habere jus instituendi, et consequenter posse suspendere a beneficio, imo et tollere illud, vel etiam suspendere ab ordine, saltem lato modo, præcipiendo scilicet clericis ne celebrent. Et rationem reddunt, quia ista sunt jurisdictionis spiritualis, et non ordinis. Et nihilominus omnes pro comperto habent non posse ex quocumque privilegio ecclesiasticas censuras inferre; et hoc sequuntur Sylvester, Angel. et alii, verb. *Abbatissa*. Difficilis tamen est illa ratio, et non satis consequens doctrinam; nam ferre censuras etiam est actus spiritualis jurisdictionis, et ad illum non requiritur ordo per se, et ex vi talis actus; ergo eadem ratio est de illo et de quocumque alio actu, qui per se requirat jurisdictionem spiritualem, et non ordinem. Patet consequentia, quia vel spiritualis jurisdictio prærequirit ordinem (sub illo primam tonsuram includendo) tanquam necessariam dispositionem seu conditionem, ut subjectum sit capax talis jurisdictionis; et sic nulla jurisdictio spi-

ritualis neque actus ejus esse poterit in femina. Vel neque isto modo requiritur ordo ad jurisdictionem spiritualem habendam et exercendam; et sic etiam jurisdictio ad censuras ferendas esse poterit in persona carente omni ordine, vel etiam incapaci ordinis. Responderi poterit, verum quidem esse de absoluta potentia Pontificis posse jurisdictionem spiritualem, etiam ad censuras ferendas, communicari laico vel feminæ; tamen, secundum jus commune et perpetuam Pontificum observationem, id nunquam fieri, nec talia privilegia concedi; alios vero actus, qui minorem jurisdictionem requirunt, interdum concedi Abbatissis. Sed distinctio hæc mihi non satisfacit, quia non video quomodo possit sufficienter in jure fundari; nam, quod laicis vel feminis non communicetur jurisdictio ad excommunicandum, verbi gratia, maxime habetur ex generali regula, quod potestas clavium, etiamsi jurisdictionis tantum sit, solis clericis communicatur, juxta ordinarium et perpetuum jus Ecclesiæ; omnis autem jurisdictio spiritualis pertinet ad potestatem clavium. Unde Div. Thomas, in 4, d. 19, q. 1, art. 1, quæst. 3, ad 4, generaliter ait, *feminam non posse habere aliquam jurisdictionem spiritualem*; et iterum, *feminam non habere clavem ordinis aut jurisdictionis*. Addit autem, *mulieri committi aliquem usum clavium*. Circa quæ verba difficile ad explicandum est, quomodo alicui committatur usus clavis, si non committitur ipsa clavis; nemo enim uti potest re quam non habet. Item nemini committi potest usus jurisdictionis, nisi committatur jurisdictio; ergo similiter, etc. Quid ergo est committi feminæ usum clavium, vel (quod idem est) usum jurisdictionis ecclesiasticæ, si clavis ipsa et jurisdictio non committitur?

12. *Concluditur nequa ex jure speciali Abbatissas habere propriam jurisdictionem spiritualem in moniales.* — Sane D. Thomas non aliter declarat usum clavium, qui committitur feminæ, nisi *quia ei datur habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent*. Unde non videtur loqui de speciali potestate quæ illi solet aliquando concedi ex privilegiis, non solum in feminas subditas, sed etiam in viros, et clericos quos interdum potest habere subjectos, ut patet ex dicto c. *Dilecta*. Quare, juxta mentem D. Thomæ, non dicitur concedi feminæ usum clavium, quia verus actus jurisdictionis spiritualis ei conce-

datur; nam corripere subditas feminas non est actus jurisdictionis spiritualis, sed est actus ejusdem domini religiosi, quod proprie non a potestate clavium, sed a voto obedientiæ et professione religiosa descendit. Vocatur autem ille usus clavium, vel solum per quamdam analogiam et imitationem, quia illud dominium est aliquo modo spirituale; vel quia etiam illa potestas et usus ejus non est sine interventu clavium, quia etiam ille modus Prælationis seu regiminis non potest esse sine approbatione Pontificis, et ideo est veluti quidam usus per claves commissus. Quocirca, respectu monialium certum videtur nunquam Prælatas habere potestatem imponendi prædictas pœnas spirituales, saltem per seipsas, quia per nulla privilegia major potestas coerciva eis conceditur circa moniales subjectas, quam quæ sufficiat ad prædictam correctionem religiosam.

13. *In clericos et alias personas habere potest Abbatissa jurisdictionem quodammodo spiritualem.* — De aliis vero personis, et maxime de clericis qui interdum eis subjiuntur, existimo imprimis, illam subjectionem non esse ratione alicujus propriæ jurisdictionis spiritualis, ut ratio facta, et auctoritas D. Thomæ probat; sed ratione alicujus domini, vel jurisdictionis quæ, licet substantialiter temporalis sit, tamen annexa est aliquo modo bonis aut personis ecclesiasticis, et ideo ecclesiastica dici potest, et quodammodo spiritualis, quam committi feminæ nec repugnat, nec est omnino inusitatum. Atque hoc modo habet aliquando Abbatissa integram administrationem et gubernationem omnium bonorum monasterii, quæ ecclesiastica sunt, inter quæ bona sæpe continentur villæ et castra, quorum jurisdictio temporalis tota est monasterii, et Abbatissæ committitur, et aliquando etiam extenditur ad personas clericorum, quantum ad actum præcipiendi illis, et castigandi illos; nam hi etiam actus de se non sunt spirituales, sed corporales (ut sic dicam); Ecclesia autem eos sibi reservavit propter dignitatem talium personarum; eos autem interdum committit etiam per jurisdictionem ordinariam his personis quæ, licet ordinem non habeant, sunt tamen ecclesiasticæ, et in ecclesiastica dignitate constitutæ. Quæ conditio sufficit ut ei committatur jurisdictio in personas ecclesiasticas, quando non datur ad actus propriæ spirituales, sed ad alios temporales vel corporales, quatenus in persona ecclesiastica versari possunt.

14. *Nunquam tamen ei conceduntur actus*

propriæ et directæ spiritualis jurisdictionis. — Quocirca, quando actus est propriæ spiritualis, existimo nunquam dari hujusmodi personis propriam jurisdictionem ad illos efficiendos, sed ad summum concedi actum aliquem, qui sit veluti conditio ad ejus præsentiam, id quod spirituale est, fit ab ecclesiastico Prælate, ad ejus potestatem id spectat. Exemplum est in facultate eligendi confessorem, quæ datur pœnitenti; non enim illi tribuitur potestas dandi alteri jurisdictionem, sed designandi personam, cui statim Pontifex dat jurisdictionem; ita ergo, cum dicitur Abbatissa posse conferre beneficium, aut habere jus instituendi, et similia, intelligendum existimo quoad actum præsentandi seu designandi clericum, cui beneficium vel jurisdictio ecclesiastica conferatur; nam dare hanc jurisdictionem vel beneficium, quoad jus spirituale quod includit, est actus clavium, quarum potestas feminis non communicatur, juxta c. *Nova*, de Pœnit. et remiss. Aliquando vero hæc præsentatio fit homini, verbi gratia, Episcopo, ut ab eo collatio et institutio fiat, ut in c. *Ea noscitur*, De his quæ fiunt a Prælati sine, etc. Aliquando vero fieri potest absoluta per simplicem designationem, et quasi electionem, ut ipso facto beneficium et spirituale jus a Pontifice conferatur. Atque eadem ratione potest interdum Abbatissa dare possessionem beneficii, quia ille in rigore non est actus propriæ jurisdictionis spiritualis in ipso executore, sed in præcipiente; tunc autem Abbatissa solum se habet tanquam is cui delegatur executio; et eodem modo potest dare titulum, id est, testimonium beneficii alteri collati, non a se, sed a Pontifice ad suam nominationem. Eodem ergo modo possunt e contrario privare beneficiis, vel possessione eorum in pœnam, si hoc eis speciali privilegio concessum sit, quia tunc etiam non exercent propriæ jurisdictionem spiritualem, sed ad voluntatem earum Pontifex est, qui suspendit influxum, seu aufert jurisdictionem spiritualem.

15. Dices: ergo simili modo poterunt etiam excommunicare, non directe, et per se spirituale vinculum faciendo, sed designando personam quam Pontifex statim liget ad declarationem seu voluntatem Abbatissæ. Respondetur non inveniri in hoc repugnantiam, nec excedere potestatem Pontificis, ut a fortiori constat ex dictis in materia de censuris; regulariter autem hoc non concedi, fortasse propter periculum abutendi censuris; vellent enim suo judicio illas imponere vel auferre,

quod non potest esse conveniens. Aliquando autem concedi solet his Abbatissis, ut per officiales suos possint excommunicare; tunc autem ipsi officiales non accipiunt potestatem excommunicandi ab Abbatissis, sed a Summo Pontifice, ad mandatum seu designationem Abbatissæ; sicut dici etiam potest de Conservatoribus iudicibus; eliguntur enim a religiosis per sua privilegia; jurisdictio autem eis datur a Summo Pontifice. Denique eodem modo de aliis censuris suspensionis et interdicti iudicandum est, ut expresse Abbas supra docuit; quamvis, latius loquendo de his prout solum significant prohibitionem aliquam, possit interdum per huiusmodi Abbatissas fieri, ut supponitur in dict. cap. *Dilecta*, et dixi in materia de censuris. Et hæc de pœnis spiritualibus.

CAPUT X.

AN IN PRÆLATIS RELIGIONIS SIT POTESTAS COERCIVA AD PŒNAS CORPORALES.

1. *Prælati religiosi nequit pœnam mortis imponere subdito.* — Posset tamen ex vi professionis relaxare brachio seculari. — Aliunde tamen id revera non potest. — Circa corporales pœnas potest in specie tractari, ad quas se extendat hæc potestas Prælatorum religionis. In quo certum est non extendi hanc potestatem ad pœnam mortis, quæ a nullo iudice ecclesiastico imponi potest, capit. *Cum non ab homine*, de Judiciis. Quia vero ecclesiastici iudices interdum possunt sententiam ferre de delicto, et reum postea remittere brachio seculari, dubitari potest an potestas horum Prælatorum ad hoc se extendat. Dicendum enim videtur, ex vi solius professionis religiosæ hoc non repugnare, quia possunt Prælati regulares religiosum incorrigibilem propter enormia crimina habitu et omnibus privilegiis religionis privare; ergo consequenter possunt, si dilecta id mereantur, talem personam tradere brachio seculari. Dixi autem, *quantum est ex parte professionis*, quia, si religiosus sit ordinatus clericus, non potest religiosus Prælati illum degradare, nec privare privilegio clericali, et illum tradere brachio seculari, quantumvis illum privet statu seu habitu religionis. Addo etiam, si ex parte ipsius Prælati consideretur quod est clericus, quodque jurisdictionem ecclesiasticam administrat, non posse ita religiosum privare immunitate, ut illum tradat brachio seculari,

nisi hoc ei speciali privilegio concessum sit. Ratio est, quia, nisi hæc remissio fiat auctoritate seu privilegio Pontificis, vix potest ab irregularitate excusari, ut latius in propria materia tractavi, disput. 47, section. 4. Secundo, quia hæc immunitas conceditur religioso, non tantum ut clericus est, sed etiam ut est religiosus, in favorem, non privata personæ, sed religionis; et ideo non potest Prælati privare religionem hoc favore propter peccatum privata personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur; sicut non potest privata persona renunciare privilegio in favorem communitatis concessio, cui per talem renunciationem præiudicium fiat. Et ob hanc causam, existimo Prælatos religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa, neque expedit ut ea utantur, propter decentiam et honorem religionis.

2. *Objicitur ex consuetudine condemnandi ad mortem ejectos.* — Objici autem potest communis usus, et praxis secularium iudicum condemnantium ad mortem huiusmodi religiosos delinquentes et ejectos, quam ubique servari testatur Cassaneus, in Consuetudinibus Burgundiæ, fol. 51, num. 66. Sed circa hoc advertendum est, dupliciter intelligi posse religiosum tradi brachio seculari, ut de crimine morte digno iudicetur, scilicet permissive tantum ac remote, auferendo impedimentum religiosi habitus et immunitatis. Secundo, immediate, et (ut sic dicam) positive, illum tradendo in manibus iudicis secularis, postquam de crimine convictus et iudicatus est. Nos loquimur de hoc posteriori modo, et sic negamus esse talem consuetudinem. Imo etiam ab aliis iudicibus, quando non temere, sed ordinate procedunt, vix aliquando id fit, nisi in casu hæresis; in quo casu etiam cum religioso id faciendum est, non tamen a Prælato religionis, sed ab Inquisitoribus, quibus iudicium de illo crimine reservatum est, ut in specie, agens de jurisdictione religiosorum, tractat Navarrus, Consil. 1, de Hæreticis. Alii vero casus, in quibus possunt Prælati ecclesiastici hoc modo tradere clericum degradatum iudici seculari, rari sunt, ut tractavi t. 5, ad 3 partem, disput. 6, de Suspens., sect. ult. Et in eis existimo, non debere nec posse religiosum Prælatum hoc modo tradere subditum, quantumvis incorrigibilem, tradere brachio seculari, propter ea quæ diximus. Consuetudo ergo illa, si quæ est, videtur intelligenda priori modo; in quo etiam alia distinctio obser-

vanda est; nam religiosus semel ejectus dupliciter potest morte plecti a iudice seculari. Primo, propter delicta commissa post ejectionem a religione, digna tali pœna; et hoc modo facile potest admitti, si fuerit consuetudo, quando religiosus ejectus alias clericus non est; quia in eo statu iudex ordinarius ejus non est Prælati religionis, nec videtur reputari tantquam persona ecclesiastica, supposita dicta consuetudine. Quod ideo adverto, quia religiosus, quantumcumque ejectus, verus religiosus manet, ut infra, lib. 3, cap. 5, ostendam, et sub obedientia Episcopi esse debet tantquam ecclesiastica persona; et ideo videtur frui privilegio fori, nisi per contrariam consuetudinem amissum sit. Quæ consuetudo maxime tolerari posset, quando talis religiosus ejectus nec regularem aut clericalem habitum portaret, nec obedientiam Episcopo servaret. Secundo modo posset puniri religiosus ejectus propter crimina in religione commissa; et hoc modo nec admittendam, nec probandam censeo talem consuetudinem, nimirum, quod a iudice seculari possit ad mortem damnari propter talia crimina, tum quia illa commisit in alieno foro, et quasi in diverso territorio; tum etiam quia supponitur jam iudicatus et punitus, nam per sententiam definitivam ejectus est a religione propter talia crimina.

3. *Nequit item Prælati damnare subditum ad mutilationem, aut etiam flagellationem per plateas.* — Bene tamen de mare ad triremes. — Præterea non extenditur hæc potestas ad mutilationem membri, nam hæc ejusdem rationis est cum pœna mortis, quod attinet ad irregularitatem et repugnantiam cum ecclesiastica mansuetudine. Item excludenda videtur pœna publica corporis, quæ ordinarie non est in usu in ecclesiastico foro propter decentiam religiosi et clericali status; qualis est publica flagellatio per plateas et vias civitatis. Nam, licet absolute non excedat ecclesiasticam jurisdictionem huiusmodi pœna citra sanguinis effusionem, tamen regulariter non est in usu Ecclesiæ respectu personæ ecclesiasticæ; neque talis pœna per canones aliquando designatur, et ideo non est extendenda potestas Prælati regularis, ut arbitrio suo possit illam imponere. Potest nihilominus religio punire subditum pœna triremis, ut late Navar., Comment. 2, de Regularib., num. 53, ubi id maxime probat ex consuetudine plurium regularium, et quia illa pœna non includit diffusionem sanguinis per se, neque aliquo speciali

jure est prohibita, et ideo potuit consuetudine induci, nam jurisdictio potest consuetudine acquiri, c. *Cum contingat*, de Foro compet., ubi glossa alia refert. Sicut etiam quoad alia multa horum Prælatorum jurisdictio consuetudine aucta est.

4. *Obiectio contra hanc pœnam triremium.* — *Impugnatur evasio.* — Potest autem objici ex eodem Navarro, quia huiusmodi pœna videtur nimis acerba, et excedens fraternitatem et mansuetudinem religiosam, et (quod gravius est) nimis periculosa saluti animarum eorum qui sic puniuntur, propter pravam societatem, et mores perditos, et infinitas peccandi occasiones illius status. Cum ergo Prælati religiosi maxime debeant subditorum saluti consulere, quantumvis mali sint, alienum ab eorum charitate et munere videtur hanc pœnam imponere. Unde non legimus antiquos Patres, Basilium, Augustinum, Benedictum, etc., tali pœna usos fuisse; imo (quod magis urget) neque Episcopi solent seculares clericos hac pœna afficere, sed solus Summus Pontifex videtur posse id facere. Ratio etiam adhiberi potest, quia nulla pœna repugnans privilegio canonis *Si quis suadente*, potest imponi a iudice ecclesiastico inferiori Summo Pontifici, nisi juxta formam juris communis, scilicet post realem degradationem, quia Prælati inferior non potest privare subditum privilegio a superiore concessio; at vero pœna triremium est contra privilegium canonis, quia ibi rei vapulantur a laicis, et per vim ibi detinentur. Nec satis est respondere, illud fieri auctoritate, et quasi ex commissione Prælatorum, et ideo excusari juxta c. *Ut famæ*, de Sentent. excomm., nam, licet hoc satisfaciatur quoad violentam detentionem, non tamen quoad verberationem; quia hoc ipsum est contra privilegium canonis; prohibetur enim Abbas flagellare subditum religiosum per laicum, capit. *Universitatis*, de Sent. excommunic., et ibi communis.

5. *Satisfit objectioni.* — Respondetur has rationes persuadere, raro posse ac debere Prælatos regulares hanc pœnam imponere, non tamen probare esse per se injustam aut illicitam, quia potest esse æqualis delicto, et alias non est intrinsece mala, nec jure prohibita. Neque obstat quod non legamus antiquos Patres illa usos fuisse, tum quia aliquæ fortasse graviores tunc erant in usu, qualis est perpetua incarceration cum magna ciborum diminutione, et aliis corporalibus pœnis; tum etiam quia tunc non erat tanta necessitas, quia non